



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

781. An publicanda resignatio facta in Curia in favorem alterius, dum hic Resignatariusobtinuit gratiam in forma dignum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

l. 3. c. 15. n. 193. quæ sententia vera videtur, ubi non intercessit resignatio, sed solum simplex dimissio, seu derelictio istius beneficii.

*Questio 781. An publicanda resignatio facta in Curia in favorem N. dum hic Resignatarius obtinuit gratiam in forma dignum?*

**R**espondeo: Etsi videri posset non faciendam in hoc casu publicationem; ed quod in hoc casu examen faciendum per Ordinarium centeri possit esse loco publicationis; quia ex tali actu examinis satis constat, talem esse verum Rectorem beneficii, ut Card. Paris. *conf. 39. col. ult. vol. 4.* verumtamen & in hoc casu faciendam adhuc esse publicationem propter generalitatem verborum, quibus utitur Gregorius, tanquam verius tenet Paris. *cit. q. 5. nu. 47.* citans pro hoc decif. Rotæ in Calaguritan. 10. April. 158. & cum illo Azor *loc. cit.*

*Questio 782. An obtinentes beneficia ex resignatione adhuc teneantur publicare, etsi resignatio sit nulla?*

**R**espondeo affirmativè. Castrop. *loc. cit. n. 7.* Garc. *loc. cit. n. 176.* Ventrigl. *loc. cit. n. 81.* (qui etiam illud extendit ad permutationes invalidas & nullas) juxta quod dicitur in Constitut. Gregor. *Beneficia ab ipsa statim prima resignatione, seu cessione, etiamsi illa aliàs nulla, aut invalida essent, vacavisse censeantur, &c.* intelligendumque hoc ipsum non solum de nullitate contingente ob non factam publicationem resignationis; cum, ut constat ex præmissis verbis, Constitutio dicta loquatur de gratiis, quæ statim à prima resignatione nullæ sunt; nullitas autem orta ob omissionem publicationem longè post primò factam resignationem subsequatur, nempe tempore ad publicandum dato elapso; sed de nullitate orta ex occulta aliqua Resignatarii inhabilitate, ita ut dum resignans putavit, illum capacem esse, qui revera capax non erat, & is etiam (sive inciusus suæ inhabilitatis, sive conscius, dum nempe ea inhabilitas est talis, quæ tolli potest, Resignatario retinente beneficium illud sibi resignatum) illud acceptavit, tenetur Resignatarius publicare resignationem, sive provisionem ex causa resignationis sibi factam publicare, etsi ea invalida fuerit. Castrop. *loc. cit.* Dum autem ex incapacitate ipsius resignantis, ed quod hic incapax sit resignare, oritur hæc nullitas resignationis, se non videre, ait Castrop. quæ ratione in eo casu Resignatarius obligatus sit publicare; quia istunc clarè intelligit, non esse resignationem, nec ullum sibi jus communicatum, sed se omninò obligatum dimittere illud beneficium. Hinc quoque tradit Garc. *loc. cit. nu. 277.* non intrare publicationis necessitatem, aut etiam vacationem ob omissionem publicationem, quando resignatio aliàs est invalida ex defectu consensûs; ed quod, licet tempus publicandi currat à Data gratiæ, id tamen intelligatur, modò sit præstitus & extensus consensus talis resignationis; cum sine eo non dicatur esse resignatio.

\* \*

*Questio 783. An, quando aliunde notoria est resignatio, vel permutatio, nihilominus adhuc facienda sit publicatio?*

**R**espondeo affirmativè. Paris. l. 11. q. 6. n. 85. dicens, sic expressè colligi ex Constitut. Gregorii, & stylym vulgarem docere. Lott. l. 3. q. 21. n. 2. & 3. dicens, publicationem hanc non posse præteriri, seu ejus necessitatem nullatenus posse remitti ex eo, quod resignatio, vel permutatio sit toti populo notoria, sententiam esse certissimam. Ventrigl. *loc. cit. n. 78.* citantes Gratian. *discep. for. c. 596. n. 8. & 9.* contra C. Parisium *conf. 39. n. 54. l. 4.* Callador. &c. quos tamen loqui in terminis antiquæ regulæ Cancellariæ de publicandis, cujus longè alia erat verborum structura, quam Constitutionis Gregor. & ideo non malè loqui, asserunt Lott. & Ventrigl. Ratio responsionis est, quod dicta publicatio non solum sit inducta, & fieri debeat simpliciter pro forma, seu tanquam forma resignationis, uti etiam erat prius vi regulæ Cancellariæ de publicandis & Constitutionis Pii V. & cui proinde satisfactum videbatur per præexistentiam notitiæ de resignatione facta (seu quæ, ut Paris. n. 85. impleri poterat per hoc æquipollens; cum forma respiciens effectum aliquem possit per æquipollens adimpleri, juxta l. ult. §. ult. ff. de condit. & demonstr.) sed quia insuper ipsi publicationi adjecta est certa forma (quod non erat aliàs ante dictam Bullam Gregorii, vi regulæ Cancellariæ, vel Constitutionis Pii V.) quæ nec latum unguem potest præteriri citra vitium nullitatis, ut patet ex illis dictæ Constitut. verbis: *quod si quicumque prædictorum omnium omisissum fuerit, &c.* quod fit, ut dicta publicatio nec præteriri, nec per æquipollens impleri possit, quia jam, licet præexistentia notitiæ in populo possit videri causa juxta præmittendi tot solemnia; cum tamen illa sint de forma, non possit sustineri actus in notitia talis causæ; non enim id esset per æquipollens adimplere formam, sed recedere à forma prætextu præexistentis causæ, quod fieri nequit, argumento l. cum ij. §. si præter. ff. de transact. ita ferè Lotterius *loc. cit. n. 4. & 5.* & ex eo Ventrigl. *loc. cit.* quod ipsum quoque exprimit ipsa Constit. Gregor. apud Paris. *loc. cit. q. 6. n. 87.* hisce verbis: *Ceterum modus de forma hinc tradita semper, & ubique debet observari, nec alia, vel æquipollens ullo modo admitti in omnibus hujusmodi resignationibus, cessionibus, &c.*

*Questio 784. An publicatio hæc facienda, etiamsi Papa, in cujus manibus facta resignatio, sit mortuus, intra tempus datum ad publicandum?*

**R**espondeo affirmativè; quia renunciatio hujusmodi jam suum habuit effectum tunc, quando Papa vivebat, per cujus obitum tolli non potest, Azor p. 2. l. 7. c. 24. q. 4. Barbof. *juris Ecclæs. l. 3. c. 15. n. 189.* Paris. l. 11. q. 2. n. 32. & 33. quod tamen ex Prospero de S. Augustin, limitat Barbof. ut intelligatur, nisi propter impedimentum Sedis vacantis, quia tunc jus non redditur, Bullas expedire non possit; etsi expressè dicant Azor & Paris. *ll. cit.* debere illum adhuc publicare Sede vacante, vel novo Pontifice creato infra ipsummet tempus ad publicandum præscriptum, utpote quod ei propter incidentem illam Pontificis mortem non extenditur.